Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Carmina, II. Teil - Cod. Karlsruhe 1610

Kurrer, Carl Philipp Friedrich

[S.l.], 1788-1796

Alto Dominorum

urn:nbn:de:bsz:31-68596

Visual Library

Munera, divitias, uxores atq; parentes.
Natos, et dulces quas tenuere domos,
Sic speluncas petierunt, vel lustra amoena ferarum
Luce carentia nemora, sola vel alta loca,
Ut coelo toti vivant, moriantur et orbi,
Aeternum rebus prospiciantq; suis,
Postea cum plures hac vita monastica mentes
Allicerent, sola vel novitate rei,
Atq; sodalitii, (nam solam ducere vitam,
Arridet paucis) et renovaret amor,
Construxere viri casulas, ubi juncta caterva
Viveret, austero rem moderante patre.
Mox etiam mulier mores imitata virorum,
Seq; putans gratam sic magis esse Deo,
Omnia, quae tenuit, projecit cara, sacrisq;
Inclusit septis se sociasq; suas.
Huius consilii princeps Antonius auctor,
Postea vir sanctus, rusticus ante ludis
Tutus ab insidiis ut daemonis esset, eremum
Quaesivit, corpus torsit ibiq; suum,
Mox cinxit sociis se, bilis queis fuit atra,
His quoq; saevitia duxq; comesq; fuit,
Postea principiis Hieronymus institit eius,
Ingenii iusto fervidioris homo,
Propositiq; tenax, atq; exsequeretur ut illud,
Per mare, per terras, absq; quiete vagans,
Nobile duxit opus, lingua, calamove, puellas
Pulcras et dites adsociare sibi,
Utq; suas salvent animas, queis retia mille
Cum Satana tendat mundus, et ipsa caro,
Certius et tandem veniant ad gaudia coeli,
Quidquid amat mundus, spernere iussit eas,
Et vitare genus cane pejus et angue virile,
Ne corrumpantur corpora sacra Dei,
Atq; preces inter, multa et ieiunia, carnem,
Ne ruat in vitium, discruciare suam.
Eustochiiq; suae par si numerosa fuisset
Feminei generis pars, vestalis amans,
Nil superesse sibi lati, faustiq; putasset
Optandum, et mortem post subiisset ovans.
Claustrorum hic ortus: pietas praepostera, fastu
Mens turgens, aliis sanctior esse volens,

Debile vel corpus, nullisque laboribus aptum,
Nonnunquam ingenium segne quietis amans.
In scrobibus terris ea priscum abdidit aevum,
In quis vix homini quis putet esse locum,
Vel nemus intensum, rigidis vel mixta dumeta
Cautibus obsita, vix penetranda sede,
Atque prius quavis caruerunt, stramine tantum
Tecta levi, pluviis vix inhibente viam,
Atque magis corpus frenatur ad omnia pronum,
Non laudanda, solum macrum, tetrumque fuit,
Terra cibos manibus duris versata dedit, fons
Potus, et vestes lana cutisve caprae,
Insuper adlato patres plebs munere iuvit,
Nil istis Cynicis sanctius esse putans.
Posteritas autem, deflectens tramite ab isto
Asperiore, putans plusque licere sibi,
Se statuens hominum primum genus, atque vel ipsos
Reges subiectos legibus esse suis
Dives opum tandem, dantisque superba popelli
Credulitate, sui divitiisque volens
Movit huius similes aedes, et claustra virorum
Struxit vel regis splendidiora domo,
Et, caro ne capreae, cervi, spumantis apri vel,
Desit, et in silva nidificantis avis,
Ne desint pisces, cataphractus aquaeque colonus,
Tempore, quo carnes mandere grande nefas.
(Scilicet is praesul, cuius vel sola voluntas
Inter Christicolas pro ratione stetit,
Temporibus fixis carnes damnavit, et illis
Indixit poenam qui fruerentur eis,
Piscibus at carnem cancrisque negarat adesse,
Quam natura ipsis, sensus et ipse dedit.)
Selegit silvis convalles undique cinctas,
Flumine dissectas lene fluentis aquae,
Si deerat flumen, rivusve, coegit in unum
Pratenses fontes, fecit et inde lacum.
Addidit et claustris viridaria, dantia gratos
Selectis herbis arboribusque cibos,
Detinuitque suis in muris omnia ferme
Ad bene vivendum queis opus esse solet;
Fratribus adiunxit sanctis sanctasque sorores,
Ut ferat auxilium sexus uterque sibi.
(Hinc duo nonnunquam sibi claustra propinqua fuere,
Et via sub terra duxit ad illa latens.)

Nam sexus sequior, cui corpus debile, mensq;
Firma minus, sexus nobilioris eget,
Qui consoletur lugentes, sublevet ægras,
Lapsis succurrat, det stimulosq; pigris,
In cuius gremium sua mentis vota reponat,
Erroresq; suos, consiliumq; petat.
Abdita non raro torquet cor cura, sorori
Quam timet, aut dubitat vel soror ipsa pudet,
Sicq; queratur, opis nil reperit inde, dolorq;
Augetur sensim, spes animusq; cadit,
Et quid, quæso! iuvat sociam reperire malorum,
Vel, quæ maiori pondere pressa gemit?
Indurare solent animum diuturna molesta,
Callescit sensus, surda fit auris iis,
Et sibi hinc, verbis vel acerbis altera, sævum
Quam mandarat amor tollere, sternit humum,
Vel (menti moesta quod vulnus acerbius infert,
Et non sanandum postea) ridet eam.
Sensum lætitiæ quæ primo in flore iuventæ
Perdiderat, quævis gaudia carpet anus,
Quamq; diu vexant mutatæ tædia sortis,
Lætatur, socias si videt esse mali.
Plusq; viris, vulgi si fas est fidere verbis,
Invidiæ semper genus muliebris habet.
Sed pater humanus tristi solatia natæ
Deneget, adlidat prorsus eamq; solo!
Et frater blandus iuvenisq;, molesta, sororis
Quæ cruciant mentem, nosse iuvare volet:
Illud amor, pietasve iubet. Sed tempore sero
Carpsit id auxilii livida lingua genus.
Si vicina iacent ardenti stramina flammæ
Vix fieri poterit, quin trahat ignis ea.
Solus cum sola iuvenis non creditur esse
Intentus precibus, cui bene pasta cutis,
Cumq; genus mortale sibi non constet, et ipsa
Spiritui solent bella movere caro,
Subq; iugum dominam cum mittat sæpe ministra,
Nonne et degeneret spiritualis amor!
Nec desunt exempla rei. Compleuerat quidem nox
Involuit tenebris, terra tegitve sinu
Vel quorum interferat, sceleris ne fama patrati
Vaderet in vulgus perniciosa sibi.
Intra claustrorum fuerant mœnia famam
Suppressere illam fulminibusq; sacris.

Sic fratres tuti potuere iuvare sorores,
Et bene consuluit sexus uterq; sibi.
Attamen interdum fortuna sinistra tenebras
Dispulit, experiens, quae latuere diu.
Proxima sic Stagni quondam penetralia propinqui
Qui mores et quales sint, docuere satis.
Ossa tenellorum detecta natantibus ortum
Piscibus in stagno, Darius et ipse negat.
Haud opus edisserere est. Cui sanum sinciput, unde
Istaecus infantum ceperit ossa, sciet.
Sacta tamen semper hic latuisse vetusta videtur,
Maior ubi fuerat religionis amor.
Illecebrasq; mali precibus seiuncta iuncta
Vicerunt noctes pervigilesque sacrae.
Et sic Alba sibi lambit duo proxima claustra,
Quae transiere quidem, dispare sorte tamen.
Unum, iuncta Deo, votisq; ligata sacratis,
Ordo, viri cuiusq;, se melius esse putans,
Alba capit peplo, sed corpus vestibus atra,
Augustine! tui religione amans,
Ingenuae stirpis, (sic claustri sanxerat auctor,
Plebeias arcens; nobilis ipse genus.) faciens
Virgo regit, paucis stipata sororibus, aedes,
Quas eadem vincit, regula patris adhuc,
Qua sub Badensi vivit tutamine ladi
A tutore suo iura subinde dolens.
Quod coluere viri, par religiosa diu iam,
Nostro adscribendum censuit esse Duci,
Qui, comes affinis sibi ius licet abroget eius
Ebersteinensis, restituiq; velit.
Id tamen adscriptum sibi possidet, atq; tenere
Laetatur, nunquam reddet et illud ei.
Sed, (quae multorum fuerat Sors) usibus istis
Aptatum sacris desiit esse ~~sacer~~ diu.
Nam, muros ex quo penetraverat haeresis eius
Lutheri, monachi deseruere locum.
In gremio vero vult esse subinde Decanum,
Qui videat, pagi ne male vulgus agat.
Per diversa tamen discrimina tenditur illuc,
Nec levis est claustri moenia inire labor.
Est aliquid duplicem montem peragrare, caballi
Dimidiumq; viae vix ope posse frui,
Atq; dies aliquot dignos meliore labore,
Auscultare, huius facta proterva, nihil,
Et dare lascivae sine fructu verba iuventae;
Et succensenti mente redire domum,

Interdum tingi pluviis, nivibusve rigere,
Quas regio in hac sic spargere vere solet.
Hunc, Thermis desertis, subiisti saepe laborem
Vix quid musaeo suavius esse putans.
Nescius illius, Te qui nunc ornat, honoris,
Sorte tamen semper laetus, amansque mei.
Jam Te, qui dudum latuisti, patria luci
Reddidit, inque dies ornat honore novo.
Quemque prius Domini venerata est Alba Decanum
Sapiens, Abbatem gaudet habere suum.
Et mihi crede, licet socium me iungere claustro,
Laeta Kellerum iam caput esse sibi!
Ad finem vergens tibi sic bene desiit annus!
Sospes adhuc multos fungere sorte nova!
Te Numen plures patriae conservet in usus!
Quidquid agis, felix esto, iuvante Deo!
Protegat ille Tuae domui decus, atque marito
Gaudia multa, patri gaudia multa creet!
Forsan et Abbati mens est invisere claustrum
Laetitiaeque huius signa videre nova,
Tunc etiam invisis montes vallesque priores,
Teque Tua Thermae, vel Neoburga videret.
Nec via difficilis nec coeli me furor ullus
Impediet, veniam, Teque videbo tamen.
Te tantum vidisse sat est, nam magna corona,
Proscio, Te cinget, laeta favore Tuo.
Invideamne illis faciem, Kellere, serenam,
Sermonesque Tuos, quos adiisse iuvat.
Sed vetat Alsatia forte in vicinia miles
Gallus ubi Rheni littora lata tegit,
Inde malum patriae portendens finibus, et Te
Tutius est muris urbis inesse Tuae.
Quando ego Te adspiciam! Soboles servare penates
Me iubet, impensis parcere vultque via, ne
Teque Tuosque Lares, nisi sors optatior illuc
Me trahat, haud dabitur cernere porro mihi.
Me, Kellere! vocas! Veniam. Mandante Patrono
Si veniam, laetus, spero, redibo domum
Laetaque suscipiet soboles, cum matre, parentem
Laetitiaeque huius dux eris, atque Sator.

Intersis populo! Dixi Horatius.